# QVÆSTIO THEOLOGICA. DE FORMALI CAVSA IVSTIFICATIONIS.

*Ex 1. 2. Quæst: 113.*

Pro loco inter Doctores S. Th. in Academia Cracou. obtinendo,



*A*

*M. ALBERTO BOROVIO,*

*in Vrbe Alma S. Th. Doctore, S. Floriani Canonico,*

AD DISPVTANDVM PVBLICE proposita.

In Lectorio DD. Theologorum, Anno Domini, M.DC. XXVIII. Mensis Septembris [Octo], Die 13

Horis antemeridianis & pomeridianis.

CRACOVIÆ,

Jn Officina Francisci Cæsarij, Anno D. 1628.

## IN STEMMA.

### Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini D.

M. S.

E. C.



D. S.

A. C. C.

Cœlesti famulatu ensem quòd Cynthia obiuit,
Flammantiq; latus strinxit vtrumq; face:
Consilij ardua vis, cælo contermina & ipsi:
Magnanimum ac robur Præsulis exprimitur.
Quanta putas domus hæc terris, cui candida cælo
Direptum præfert Cynthia auita decus!

# QVÆSTIO.

V. Gratia, per modum habitus, sola & vnica causa formalis iustificationis, remissionis, & expulsionis peccatorum, ita sit necessaria: vt per nullam aliam extrinsecam gratiam non modo per ordinariam, sed ne absolutam quidem potentiam, Deus nos acceptet, ad amicitiam suam, neque ad beatitudinem æternam, sine eiusdem gratiæ infusione nec ne?

## Conclusio I.

### Gratia habitualis, est vnica & sola causa formalis iustificationis, & remissionis peccatorum.

*COROLLARIA.*

1. *Ergo sola gratia habitualis nos formaliter constituit iustos & sanctos, sine nouo fauore aut aliquo nouo superaddito dono, iam gratiæ infusæ.*

2. *Præter actum diuinæ voluntatis & Christi satisfactionem, requiritur gratia habitualis, ad remissionem peccati, tanquam terminus & effectus diuinæ voluntatis.*

3. *Peccatum per solam dilectionem, & odium peccati, siue contritionem, non potest tolli sine gratia habituali, à qua vterq; actus hic præscindi potest.*

4. *Cum Patres, vel scriptura Sacra tribuit charitati, vel contritioni, remissionem peccatorum, hoc intelligendum est dispositiuè non formaliter.*

5. *Dum meritis Christi tribuitur remissio peccatorum, in genere meritoriæ causæ, semper intelligendum est non de formali.*

## CONCLVSIO II.

## Gratia per modum habitus non effectiue, sed formaliter, Physicè, expellit peccatum habituale.

### COROLLARIA.

1. *Ergo gratia habitualis tantam habet repugnantiam cum peccato, vt per nullam potentiam possint esse simul in vno subiecto.*
2. *Gratia talem facit immutationem in peccatore, vt suapte natura sit opposita omninò maculæ, nullo extrinseco opus habens vt eam deleat.*
3. *Potest commodè defendi, contra plurimos, in peccato & gratia habituali, omnia genera oppositorum concurrere, contrarietatis, priuationis, relationis & contradictionis.*
4. *Gratia & peccatum respectu hominis lapsi ita esse immediate opposita vt nullus vnquam ca-*

*reat gratia habituali, nisi habeat peccatum mortale & è contra.*

5. *Non potest infundi qualitas gratiæ habitualis, vel etiam conseruari in eo, qui est in peccato mortali.*

## CONCLVSIŌ III.

# Hæc formalis causa iustificationis ita est necessaria, ad expulsionem peccati, vt sine illa non possit tolli id, in quo formaliter consistit peccatum.

### COROLLARIA.

1. *Ergo expulsio peccati, & remissio, ita sunt effectus formales gratiæ habitualis, vt non modò in statu naturæ lapsæ, sed nec in puris naturalibus, sine illa peccatum expelli & remitti possit.*
2. *Formales effectus oppositi, non possunt tolli, vel poni, sine formis oppositis, vt patet in tenebris & luce, in visu & cæcitate.*

3. *Ita necessaria gratia per modum habitus, vt non ad supplendum quasi desit aliquid meritis Christi, sed ad meritorum Christi applicationem, vt terminus & effectus diuinæ voluntatis, respicientis ad Christi satisfactionem, & condonantis nobis peccata.*

4. *Gratia Dei non eget nouo fauore Dei extrinsecus ad id vt constituat nos formaliter iustos & repellat peccatum.*

5. *Quamuis peccatum sit quid morale, potest tamen tolli per aliquid Physicum & in rei veritate tollitur.*

## CONCLVSIO IV.

Nulla potentia etiam absoluta diuina potest remitti, & expelli peccatum sine infusione gratiæ habitualis.

### COROLLARIA.

1. *Implicat contradictionem, conuersionem & auer-*

auersionem, respectu eiusdem finis aut obiecti, esse simul in eodem subiecto, idem subiectum simul esse auersum & conuersum.

2. Ita requiritur ad expulsionem peccati, mutatio Physica subiecti, non tantum per actum, qui inchoare eundem potest, sed per habitum, vt nullo modo sufficiat condonatio, acceptatio, liberalitas, & remissio, facta etiam à Deo qui ius habet ne violetur lex.

3. Licet Deus per suam potentiam posset auferre habitum infusum gratiæ, & hominem relinquere sine peccato, & gratia, tamen nullo modo facere posse, vt re ipsa auferat peccatum, sine gratia, ideoq; neq; sine mutatione Physica peccatoris.

4. Commune axioma Theologorum, quidquid Deus interuentu causæ facit, se ipso facere potest, non de causis in genere formali intelligi debet, neque enim facere potest album parietem sine albedine, sed de causis efficientibus excipiendo semper actus vitales.

5. Etiam

5. *Etiam de potentia Dei absoluta, sola Dei voluntate, aut sola Dei acceptatione, & fauore, absq; intrinseca mutatione peccatoris, peccatum nullo modo deleri potest.*

## CONCLVSIO V.

Homo per infusionem gratiæ, restituitur conuersioni ad finem suum supernaturalem, acceptaturque ad amicitiam Dei, ad beatitudinem æternam siue bona supernaturalia.

### COROLLARIA.

1. *Ergo peccatum sua natura odibile, seu dignum odio Dei, impedit amicitiam & beneuolentiam Dei, proptereaq; ad acceptationem ad beatitudinem æternam.*
2. *Repugnat gratiam non dare suo subiecto, & esse simpliciter & absolutè gratum Deo,*

&

& acceptum ad amicitiam Dei, & ad ſuam beatitudinem quoniam hic eſt primarius non ſecundarius effectus gratiæ.

3. Deum non poſſe peccatum remittere ſine illa Phyſicæ qualitatis gratiæq́ infuſione.

4. Quando ad gratiæ infuſionem peccatum remittitur, id fieri vi infuſionis, vel qualitatis infuſæ non vero ſolius condonationis beneficio.

5. Per nullos actus homo poteſt reddi amicus Dei, & dilectus Deo amore amicitiæ bonorumq́ omnium ſupernaturalium particeps fieri ſine infuſione gratiæ.